

R. N. C. Juxta CORNELIUM A LAP. Filius Dei primo introductus est in Orbem, non per revelationem angelis factam, sed per Incarnationem, iterum autem per Resurrectionem gloriosam, aut in die iudicii introducendus. SS. CHRYS., AMBR., CYRILL. et alii Patres primam introductionem dicunt factam per generationem æternam Christi qua Dei, secundam vero per temporalem Christi qua hominis. Alii dicunt S. PAULUM, per τὸ iterum significare tantum iteratam citationem textus ex V. Testamento. Demum, si etiam per hoc probetur, Luciferum noluisse adorare Christum, tamen hoc ipso quod Christus tanquam Deus Homo fuerit propositus, et Decretum Incarnationis revelatum, Lucifer non potuit sibi appetere Unionem Hypostaticam, ac proin aliud objectum positive appetitum assignari debet. Sane Patres qui pro illa sententia afferuntur, rari sunt, et solum dicunt, quod dæmon naturæ humanæ inviderit Unionem Hypostaticam.

Inst. 2. Illa independentia a Deo evidenter repugnat creaturæ, cum omnis creatura evidenter et essentialiter sit subjecta Deo; ergo non potuit efficaciter appeti a Lucifero, sed potius Unio Hypostatica.

R. D. A. Est subjecta Deo physice C. Quia physice non potest alium habere auctorem seu conservatorem, quam Deum. Moraliter *subd.* In actu primo C. In actu secundo N.

ARTICULUS III.

DE POENA ANGELORUM.

§ I.

An pœna dæmonum sit verus et corporeus inferni ignis?

64. *Nota.* infernum negant *Athei, Libertini,* et impii fere omnes. Præter quosdam antiquos dubie locutos, et e Catholicis *Catharinum* L. de præm. et suppl., negarunt ignem verum dæmones torquentem *Origenes* Periarth. L. 2. c. 10. n. 4. seqq., *Albigenses, Lutherus, Calvinus,* aliique *Novatores* apud *Coccium* Tom. 2. L. 10. qui pœnam ignis dicunt intelligendam esse *metaphorice,* nihilque aliud ejus cruciatum esse, quam dolorem, vel ex privatione bonorum, vel ex recordatione peccati proveniente, licet non negent verum ignem inferni, qui cruciet corpora hominum. Priusquam autem de pœna dæmonum nunquam satis timenda statuamus, paucis stabilienda est veritas Catholica.

65. *Dico I.* Certissima fide tenendum, quod sit vere infernus aliquis a Deo constitutus, in quo reprobi omnes, tum angeli tum homines detineantur et torqueantur.

Prob. I. SCRIPTURA SACRA Vet. et Novi Testamenti asseverat dari infernum: Is. 30. 33. dicitur: *Præparata est ab heri Tophet, a Rege præparata, profunda et dilatata, nutrimenta ejus ignis et ligna multa, flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam;* est autem *Tophet* vallis filiorum Enon, ubi cremabant Judæi filios suos idolo *Moloch,* designans locum, ubi perduelles filios Deus æternum cremat: *Præparata ab heri,* id est, ab initio

mundi. V. *Exegesis in Hebr.* Psal. 9. — 18. Is. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Psal. 48. 13. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos etc.* Marc. 9. 44. et 45. Christus dicit: *Bonum est tibi, claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Luc. 16. 22. et 24. *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno; elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis etc.* Idem Judæ v. 6. Apoc. 12. 9. — 14. 19. — 20. 9. — 21. 8. etc. exprimitur.

II. CONCILIA, PATRES, et totius ECCLESIE SENSUS idipsum docent: Symbola ATHANAS. APOST. et NICÆNUM *vitam et ignem æternum* memorant; idem definitum in Conciliis TOL. IV. c. 1. (Labb. t. 5. p. 1703.), FLORENT. in litteris union. (Labb. t. 13. p. 513. D.) et in aliorum omnium professione fidei. Instar omnium SS. PP. sit CYPR. qui L. de laud. Mart. n. 20. ait: *Sæviens locus, cui gehenna nomen est..., eructantibus flammis per horrendam spissæ noctis caliginem, sæva semper incendia camini fumantis expirat.*

Conf. Evidens conjectura, et ipsorum gentilium auctoritas suffragantur: injustus quippe Deus esset, si hominum crimina manerent impunita, quæ cum in hac vita sæpe non puniantur, necesse est ut puniantur in altera: sed peccati tanta enormitas est, ut nulla pœna, nisi æterna, satis illud punire queat. Demum innumeræ tum dæmonum, tum hominum apparitiones, quibus omnibus fidem negare, teste S. AUG. supr. cit. nimis impudentiæ est; multorum item hominum raptus ad videndos inferos, montes ignivomi, quos TERTULL. (Apolog. c. 48.) vocat *Testimonium ignis æterni, exemplum jugis iudicii pœnam nutriendis*; PLATONIS, TRISMEGISTI, aliorumque gentilium notitia et consensus, de quo testantur S. CLEM. ALEX. Strom. L. 5. (opp. p. 592.), et MINUTIUS FELIX in Octavio, satis probant, omnino stultum esse, negare infernum: cum pro re, quæ sensibus non patet, et a sola Dei voluntate pendet, nequeat afferri efficacior, quam multiplex ratio nostra.

66. *Dico II.* Ignis paratus diabolo et angelis ejus est ignis corporeus, dæmones vere torquens.

Prob. Diabolo paratus est ignis idem, in quem ibunt homines: atqui hic est corporeus et verus, 1º. Quia Scripturæ multis in locis, nempe Eccli. 7. 19., Is. 33. 14., Matth. 3. 12. etc. appellatur ignis, et distinguitur a *remorsu* seu *verme conscientie*; verba autem Scripturæ sumenda sunt in sensu proprio, ubi sine inconvenientia ita sumi possunt, accedente etiam consensu Patrum. Dein Christus in illis pronuntiat *sententiam judicalem*: hæc autem debet esse maxime aperta, plana, et verbis proprie significantibus efferri: quod non fieret, si *ire in ignem* significaret privationem bonorum, vel recordationem peccati. 2º. SS. Patres hanc veritatem diserte exprimunt, JUSTIN. in 2. Apol. n. 7., ARNOB. L. 2. cont. gent. c. 14., AUCTOR epist. ad Diognet. n. 10., PAULIN. epist. 31. (al. 44. n. 6.), CYPRIAN. de laude Martyr. n. 20., CYRILL. Hieros. Catech. 18. n. 19., CYRILL. ALEX. in Isaiam, L. 3. (opp. t. 2. p. 439. A.), PRUDENTIUS cont. Symmach. L. 2. v. 182. seqq., HILAR. in Matth. c. 13. n. 12., CHRYSOST. ad Theod. lapsum, L. 1. n. 10., AUG. L. 21. de Civ. c. 10., GREG. M. L. 4. Dial. c. 28. et 29. et alii quos citant SUAREZ, de Angelis L. 8. c. 12. n. 41. seqq. et PETAV. L. 3. c. 5. His accedunt cum MAG. SENT. Theologi

omnes, atque a S. AUG. temporibus habetur tanquam clara et certa Ecclesiae sententia, quamvis ea non sit expresse definita, ut VASQUEZ advertit.

67. *Obj. I. cont. II.* Ignis in Scriptura saepe sumitur *metaphorice*, pro gravi afflictione, Psal. 63. 12. *Transivimus per ignem et aquam*: pro gratia Matth. 3. 11. *Ipse baptizabit vos in spiritu et igne*; ergo etiam hic *metaphorice* sumendus est.

R. N. C. Nam in allatis textibus nec textus adeo clari, nec circumstantiae textus, nec Patrum ac Theologorum consensus ita sensum litteralem indicant, sicut de igne inferni corporeo. Ex ipsa sane historia alius non fuit praedictorum textuum, quam *metaphoricus*; nihil autem id exigit in nostris textibus.

Inst. 1. Luc. 16. 24. refertur de *divite Epulone* quod dixerit: *Crucior in hac flamma*, et ad Abraham: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti suam, et refrigeret linguam meam*: ubi digitus, lingua, oculi intelliguntur *tropice*, cum non convenient animabus separatis; ergo etiam flamma et ignis.

R. T. A. N. C. Quia etiamsi digitus, lingua, et oculi accipiantur *metaphorice*: ita tamen haud accipi posse ignem, probant rationes nostrae: neque infrequens est in Scriptura, veris *metaphorice* inspergere in eadem narratione, ad meliorem hominum captum. Dixi *Transeat*, quia si ut communius censent Patres, non sit historia, sed parabola de Epulone et Lazaro, possunt omnia proprie accipi de homine integro, ut erit post resurrectionem.

Inst. 2. Job. 24. 19. dicuntur etiam nives esse in inferno: *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius*: sed aquae nivium sumuntur *metaphorice*; ergo et ignis inferni.

R. Haec verba non sunt intelligenda de *panis inferni*; esset enim levis in tormento ignis poena, imo refrigerium: quamvis nonnulli Patres et Theologi de illis intelligant, ut scilicet ex alternante frigoris et caloris cruciati damnati acerbius torqueantur; sed est tantum imprecatio poenae temporalis in adulteros, ut de peccato uno ad aliud transeant: vel intelligitur sub hac vocum allegoria poenarum temporalium in peccatores statuta multiplicitas et vicissitudo, ut secundum contextum plurimi interpretantur.

Inst. 3. Is. 66. 24. et Marc. 9. 43. dicitur: *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguitur*: sed juxta communem vermis sumitur *metaphorice*; ergo et ignis.

R. T. m. Quia S. AUG. L. 21. de Civ. c. 9. n. 2. ex Eccli. 7. 19., Is. 66. 24. fundamentum desumit dicendi, quod damnati in corporibus resumptis passuri sint proprios vermes. *Disparitas est*, quia duplex est damnatorum poena, alia proveniens *ab intra*, nempe recordatio peccatorum et tristitia ob amissam beatitudinem, sicut vermis nascitur ex ipso corpore, et arrodit ejus intima; alia *ab extrinseco* adhibetur, scilicet ignis. Quamvis autem prior cruciatus per vermem explicatus, hic *metaphorice* sumi possit: non tamen ideo etiam ignis sic sumi debet, quia instrumentum extrinsece crucians potius dicitur vere tale, quale nominatur. Ex eodem desumitur responsio, dum obicitur *fletus et stridor dentium* a Christo Luc. 13. 28. praedictus.

68. *Obj. II.* SS. PP. LACTANT. Instit. L. 7. c. 21. THEOPHYLACTUS in c. 9. Marci, v. 44. 43. et DAMASC. L. 4. de fide c. ult. Item TERTULL. negant ignem inferni esse corporalem, quem dicunt spiritualem, seu *metaphoricum*; ergo.

R. D. A. Negant corporalem simpliciter N. Comparative C. Item dicunt spiritualem proprie N. improprie C. Nempe non absolute negant esse materialem et corporeum, sed tantum ita materialem, qualis apud nos habetur, qui nutritur ligno aliaque materia, cui etiam adhæret: dicunt autem *spiritualem*, quatenus eum volunt esse subtilissimum et incorruptibilem, quo sensu etiam S. AUG. ex D. PAULO corpora hominum post resurrectionem spiritualia fore dicit. TERTULLIANUS docuit animam hominis non pati sine corpore, et sic non ante resurrectionem esse passuram, in quo erravit; nihilominus docet, ac tanquam communem Ecclesiae doctrinam, quae a gentilibus deridetur, ponit, quod *ignis inferni sit corporeus*.

Inst. 1. S. HIER. in Is. 66. 24. ait: *Vermis, qui non moritur, et ignis, qui non extinguitur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum*: et ibidem addit quaedam verba ORIGENIS, quae non reprobant.

R. S. HIER. hic refert sententiam aliorum, non suam. Dein quamvis hic ORIGENIS verba non reprobet, tamen ea per hoc non approbat: tum quod in relatione aliorum similem modum saepius teneat: tum quod alibi (ep. 59. ad Avitum, al. 124. n. 7.) aperte ORIGENIS errorem reprobet.

Inst. 2. S. AMBR. in Luc. L. 7. n. 203. ait: *Neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis*; et S. GREG. M. L. 13. Mor. c. 17. (al. 29. n. 33.) aperte dicit *ignem gehennae incorporeum*; ergo.

R. Ad 1^{um}. Si non possit dici, haec velut referendo ex aliorum opinione locutus, aut accensionem spirituum per flammam negare voluisse; excusari debet locutio S. PATRIS, quia sub ejus tempora necdum erat haec veritas ita declarata in universa Ecclesia.

Ad 2^{um}. Locus hic GREGORI est corruptus, uti SIXTUS SEX., PETAV. et alii recte contendunt; et manifeste probant MSS. codices, in quibus loco cit. *ignis gehennae dicitur corporeus, non autem incorporeus*; uti videre est in nova S. GREGORI operum editione, a RR. PP. Benedict. concinnata.

Inst. 3. S. AUG. L. 21. de Civ. c. 10. de *divite Epulone* dicit, *responderi posse, talem fuisse flammam, quales oculi et lingua fuerint*: et L. 20. c. 16. *qui ignis cujusmodi et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitrator neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit*; ergo.

R. Ad 1^{um}. AUG. eod. L. 21. probat ignem inferni esse corporeum, eoque animas ac daemones torqueri; unde verbis allatis tantum insinuat, quod ex hoc Scripturae loco non velit probare ignem corporeum, quia videt *convenienter responderi posse* etc.

Ad 2^{um}. Licet ignis ille dicatur corporeus, incertum tamen manet, cujusmodi et ubi sit. Communior tamen sententia cum D. ТИОМЛ est, quod sit ejusdem speciei cum nostro, licet quibusdam accidentibus differat. Plerique etiam dicunt, eum esse in medio terrae. Universim ergo SS. Patres solum indicare volunt ignis infernalis et nostri differentiam, quia scilicet non eget materia, quam consumat: non destruit corpora, quae cremat: extingui non potest, lucidus non est, etc.; cum vero cruciet corpora, certum est, eum non esse spiritualem, sed corporeum.

69. *Observe I.* Sicut ignem, ita et locum materialem, puniendis reprobis destinatum, tenet communis Catholicorum contra Calvinum et alios Novatores, tum quia Scriptura infernum dicit esse locum a sepulchro distinctum, inferiorem superficiem terræ, abyssum quæ clauditur etc. tum quia id in *Symb. Apost.* profitetur, et C. FLORENT. l. supr. cit. dicit, animas defunctorum peccatorum in infernum descendere. Consentiant SS. Patres. Quamvis autem S. AUG. scripserit neminem scire, in qua mundi parte sit infernus, tamen L. 2. *Retract.* c. 24. n. 2. ait: *De inferis magis videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem ejus reddere... quasi non ita sit.* Atque hic locus prope centrum terræ effossus ex communi Theologorum divisus est 1º. in *Infernum damnatorum* pro pœna damni et sensus æternæ: 2º. in *Purgatorium* pro pœna damni et sensus temporali: 3º. in *Limbum puerorum*, sive infantium sine baptismo decedentium pro pœna solius damni æternæ: 4º. in *Limbum Patrum*, qui moriebantur ante passionem Christi, pro pœna solius damni temporali. Ita BELLARM. Tom. II. L. 2. de *Purgat.* c. 6. et Tom. 1. L. 4. de Christo c. 10., ubi hanc rem contra Calvinum, Bucerum etc. copiose ac erudite pertractat.

70. *Observe II.* Quod dæmones et animæ damnatorum vere torqueantur ab igne corporeo, ita ut ignis infernalis, tanquam instrumentum justitiæ divinæ a Deo elevatum, actione reali dæmonibus alligatis inferat dolorem cum ustione analogum, recentior ac verior est sententia: siquidem SCRIPTURA et PATRES cruciatum igni infernali attribuunt similem ei, quo corpora naturaliter cruciantur ab igne; attamen modum et alligationis et ustionis doloriferæ satis explicare haud possumus, ut ingenue fatendum sit cum S. AUG. L. 21. de *Civ.* c. 10. *Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna ignis corporalis affici?* et S. GREG. L. 4. *Dial.* c. 29. dicit, *ex igne visibili invisibilem pœnam animas trahere*, vocans invisibilem pœnam, quia occulta et incognita est.

§ II.

An pœna dæmonum in inferno sit æternæ?

71. *Nota.* Dæmonum ac damnatorum hominum pœnas non fore æternas, sed finem aliquando habituras, error fuit ORIGENIS: eundem nonnulli tribuunt Armenis, et nostris temporibus amplectuntur Sociniani. In eundem errorem propensiores fuisse videntur doctrinæ Origenianæ æstimatores, GREG. NYSS. et NAZ. quamvis nonnunquam Catholico dogmati eos fuisse ostendat PETAV. L. 3. de *Ang.* c. 7. Id ipsum præstat etiam de S. HIER. et S. AMBR., qui alicubi dixerant, Christianos saltem pœnas æternas non subituros. Demum et hæc questio, utrum dæmones statim post peccatum sint detrusi in infernum, hic paucis resolvenda est, cum plures SS. PP. JUST., IREN., EPIPH. atque ŒCUMENIUS docuerint, dæmones non esse torquendos pœna gehennæ ante diem judicii.

72. *Dico I.* Dæmones statim post peccatum sunt detrusi in infernum. *Prob.* Ex *SCRIPT.* 2. *Petr.* 2. 4., *Is.* 14. 11. etc. Item ex C. FLOR. quod loco

supr. cit. ita definit: *Hoc sacro universali approbante Concilio definimus... illorum animas, qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas; ubi licet nihil de dæmonibus definit CONCILIUM, tamen ad illos extendi debet, cum nulla sit ratio id asserendi potius de hominibus, quam de angelis, qui etiam sunt extra viam, et objectum ultionis divinæ.*

Conf. Angeli boni statim post perseverantiam admissi sunt in cœlum ad videndam faciem Patris; ergo etiam mali statim post peccatum detracti sunt rudentibus inferni in tartarum, æternum cruciandi, tortores et ipsi damnatorum, non quidem ipso instanti quo peccarunt, sed post aliquam perseverantiam in malo, et post commissum prælium inter bonos et malos. Idem communiter sentiunt SS. Patres apud TOURNELY hic. Cf. PETAV. L. 3. c. 4.

73. *Dico II.* De fide est, pœnas dæmonum ac reproborum hominum esse æternas.

Prob. Scriptura ubique pœnas inferni æternas fore dicit, *Is.* 33. 14., *Dan.* 12. 2., *Marc.* 9. 44., *Apoc.* 20. 10., 2. *Thessal.* 1. 9., *Matth.* 25. 41.

Conf. 1. Ex unanimi consensu Patrum: JUSTIN. *Apol.* 1. (al. 2. n. 8. 9.) et *Apol.* 2. (al. 1. n. 8. et 52.), THEOPHIL. ad *Autolyc.* L. 1. n. 14., IREN. L. 4. c. 47. (al. 28. n. 2.), TERTULL. *Apolog.* c. 43. et de *Testim. Animæ.* c. 4., MINUCIUS OCTAV. c. 35., LACTANT. *Instit.* L. 7. c. 5., HILAR. in *Matth.* c. 27. n. 2., CYRILL. *Hieros. Catech.* 15. n. 26. et *Catech.* 18. n. 19., CHRYSOST. ad *Theod. lapsum.* L. 2. n. 3. (opp. t. 1. p. 29. A.), HIERONYM. in *Matth.* c. 10. v. 28., S. AUG. de *Civit.* L. 21. c. 27. n. 6. et alii quos vide apud PETAV. L. 3. c. 8.

Conf. 2. Ex judicio Ecclesiæ, quod S. AUG. exponit L. de *Hær.* c. 43. his verbis: *Quis enim Catholicus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat... diabolum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos... regno Dei lucique restitui?* Unde FULG. L. de *fid.* ad *Petrum* c. 43. ait: *Iniqui semper arsurum cum diabolo, justis autem regnaturi sine fine cum Christo.* Atque ita post CC. GENERALE V. (apud NICEPH. *Hist. Eccles.* L. 17. c. 28.), LATER. IV. cap. *Firmiter*, et TRID. Sess. 6. can. 25. et Sess. 14. can. 5. Catholici omnes.

74. *Obj. cont. I.* Constans PATRUM sententia est, dæmones versari in aere super terram: dicit enim S. HIER. in c. 6. v. 12. *epist. ad Eph.* *Hæc autem omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum et terram medius dividens, inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus:* et S. AUG. L. 11. de *Gen.* ad *litt.* docet, *hoc pertinere ad fidem apost.*; ergo non sunt in inferno.

R. D. A. Vagari in aere tanquam in loco suis supplicii destinato N. Ex permissione divina *subd.* Ita ut supplicium suum secum ferant C. Secus N. Permittit hoc Deus, tum ad excitandam electorum sollicitudinem, tum ad puniendam peccatorum socordiam et impietatem. Falsum autem est quod, teste S. THOMA, nonnulli autumabant, dæmones tum esse liberos a pœna: nam quocumque volitant, ubique suam gehennam circumferunt, ait VEN. BEDA in c. 3. v. 6. *ep. Jacob.*

Inst. 1. Scriptura suffragatur Patribus, docens quod sententiæ in dæmo-

nies executio dilata sit ad diem iudicii : nam Matth. 8. 29. dæmones dicunt Christo : *Venisti ante tempus torquere nos* : Christus in extremo iudicio dicet reprobis : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* : juxta S. Petrum ep. 2. c. 2. v. 9. et Judam v. 6. *in iudicium magni diei reservantur angeli rebelles cruciandi* : 1. Cor. 6. 3. dicitur : *Nescitis, quia angelos judicabimus*; ergo nondum sunt iudicati, neque in inferno torquentur.

R. D. A. Sententiæ executio quoad nonnullas pœnas accidentales, et quoad externam confirmationem dilata est in diem iudicii C. Quoad pœnam essentialem et executionem simpliciter N. Pœnæ essentiali damni et sensus, cui ex justa Dei irati sententia statim post peccatum subjecti sunt dæmones, accedet in extremo iudicio accidentalis : 1. Quia tunc inferorum carcere includentur sine ulla egrediendi, et hominibus nocendi potestate : 2. Quia non amplius extorquebunt ab ullo cultum Deo debitum, ut modo faciunt, dum ab Ethnicis adorantur : tunc enim patebunt eorum fraudes et debilitas, cum omnes intelligent, eos a viris, fœminis, pueris superatos : 3. Quia non solum a Deo, sed etiam ab hominibus judicabuntur. Ex his patet explicatio textuum.

Inst. 2. Multi SS. Patres dicunt, dæmones non esse torquendos pœna gehennæ ante diem iudicii, nempe S. JUST. S. IREN. S. EPIPH. etc.; ergo.

R. SS. JUST. IREN. EPIPH. OECUMENIUS non videntur posse excusari ab errore, adeoque deserendi sunt. Reliqui SS. Patres loquuntur in sensu ante explicato de pœna accidentali.

75. *Obj. cont. II.* Pœna, aliaque, quæ in Scriptura vocantur *æterna*, sæpe tantum significant durationem *longi temporis*; uti Psal. 88. 5. semen Davidis dicitur in *æternum* mansurum; aut denotant tantum *conditionate æternum*; ergo.

R. D. A. Si enuntiatio fuerit pro statu vitæ præsentis Tr. Si pro statu vitæ alterius N. Pro hoc enim statu, ubi scilicet *nox est, in qua nemo amplius potest operari*, nihil pendet e conditione meriti, aut satispassionis meritorie. V. *Exegesis Hebr.* Ps. XLIV. 18.

Inst. 1. SS. GREG. NYSS. Catech. Orat. c. 26. (opp. t. 3. p. 84. C.) et Dial. de anima et resurr. (opp. t. 3. p. 211. D. 212.), GREG. NAZ. Or. 39. n. 19. et 40. n. 36., HIERON. L. 1. cont. Pelag. n. 28., AMBROS. in Ps. 118. Sermon. 20. n. 22. 23. Videntur negare æternitatem pœnæ infernalis; ergo.

R. S. GREG. NYSS. explicari vix potest; alii loquuntur de igne *Purgatorii*. Sane Patres, Concilia, totaque Ecclesia æternitatem pœnarum infernalium aperte docent, ac ita intelligunt, ut nunquam finem sint habituræ; idem Scriptura Apocal. 14. 11. et aliis in locis sæpissime exprimit.

Inst. 2. PRUDENT. Cathemer. 5. v. 125-136. AUGUST. Enchirid. c. 112. CHRYSOST. in ep. ad Philipp. hom. 3. n. 4. innuunt quod damnatorum animæ, si non penitus solvantur, saltem in pœnis suis sublevantur fidelium orationibus et sacrificiis; ergo.

Quamvis de hoc nihil adhuc sit definitum, maximum tamen *præjudicium* contrarium est Ecclesiæ, quæ nunquam pro damnatis orare consuevit. Unde, quæ referuntur historiæ de liberatis animabus ex inferno, vel fabulæ sunt, vel animæ illæ necdum sententia divina inferno fuerant addictæ, ut videre est apud BELLARM. L. 3. de Purgat.

Inst. 3. Pœna *æterna* non videtur proportionata delicto momentaneo : Dei etiam misericordia infinita est; ergo.

R. Etiam justitia Dei est infinita, quæ post viæ statum sola quasi dominatur; juxta meritum finalis impœnitentiæ. Quomodo *pœna æterna* non excedat culpam mortalem, dicitur in Tr. de Peccat. : quippe peccatum mortale tamdiu puniri debet, quamdiu integer manet reatus pœnæ, qui per illud contractus est : atqui hic integer manet per totam æternitatem, cum homo vel angelus per illud peccatum in eo statu constituatur, in quo non potest satisfacere Deo offenso.

76. *Observe I.* Quadruplex pœna est, quæ juxta communem peccatum angelorum subsecuta constituitur : 1^o. *Cæcitas mentis*, ob quam dæmones simpliciter dicuntur *tenebræ* Luc. 22. 53. et Eph. 6. 12. hanc statuunt Auctores esse carentiam omnis prorsus lucis supernaturalis, non vero naturalis : 2^o. *Obstinatio voluntatis* in malo, ob quam vocantur *spiritus mali et nequam* 1. Reg. 16. 14. et 15. tanta hæc ab omnibus asseritur, ut nunquam dæmones bene operentur : 3^o. *Exclusio a gloria* : 4^o. *Tormentum ignis*, quæ utraque pœna intelligitur ex verbis Christi Matth. 35. 41. Inde colligitur, quod pœna damni consistat in privatione visionis beatificæ, et mediorum ad illam obtinendam, correspondente aversioni a Deo, quæ est in peccato mortali; hæc quamvis sit omnibus communis, tamen ratione boni, cujus est privatio, damnum est inæquale, quatenus unus præ altero per majorem gratiam destinatus erat ad majorem gloriam. Idem de pœna sensus : idem de aliis damnatis iudicium esto.

77. *Observe II.* Nullus angelorum egit *pœnitentiam*, quia generaliter dicitur, tum 2. Petr. 2. 4. *Deus angelis peccantibus non pepercit* : tum Apoc. 12. 8. eorum *locus non est inventus in cælo*; nec facere potuit, Deo ex justissima causa angelis lapsis denegante *auxilia sufficientia* ad salutarem pœnitentiam, et *spatium*, quo illam agerent. Et sane cum tanta fuerit angelorum peccantium multitudo, vix est credibile, quod nullus egisset, si eam omnes agere potuissent, pœnitentiam; tota autem ratio, ob quam Deus homini, non angelis peccantibus pepercerit, est *voluntas Dei* : rationem congruentiæ dat S. GREG. L. 9. Mor. c. 28. (al. 50. n. 76.) *quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat, sicut homines*. S. AUG. Tr. 95. n. 4. in Joann. dicit : *Ne sibi parci existimet superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est angelorum*. Adde, quod homo peccaverit ex *suggestione*; atqui si Deus etiam homini non pepercisset, tota natura periisset.